

marius Ecclesiæ Parochialis Minister, & totius Parochiæ curam gerens, eatenus fundatam habet ad oblationes intentionem, ut earum administratio eidem competat, tamen in alios quam ejus privatos usus impendenda sint.

XXV. Quinimò, etiam si alii sint in possessione dispensationis, vel administrationis elemosynarum, nisi eodem titulo parochus sit exclusus, unà cum aliis dispensationi & administrationi super intendendi jus habet: ut scilicet, quantum fieri potest, juri communi, quod parochio oblationum dispensationem concedit, proprius inhæreatur.

Unde in præcitata Synodo Namurcensi dicitur: „Reddatur computus omnium collectarum, etiam confraternitatum, & quocumque alio titulo vel nomine fiunt, per Mamburnos in Ecclesia, præsentem Parochio & Magistratu loci.

XXVI. Oblationum enim dispensationem, etiam ad Laicos spectare posse dubitari nequit.

Neque inconueniens est, ut harum administratio sit penes Laicos, quoniam ista, uti notat de Luca loco citato, non dicitur administratio istius juris spiritualis, cujus laici sunt incapaces, & de qua administratione loquuntur S. Canonibus, dum illa consistit in ipso formam, regimine, vel rectoria Ecclesiæ, vel Capellæ, cum administratione divinorum, illorumque actuum spiritualium explicatione, qui non nisi Ecclesiasticis per-

sonis conceduntur, Laicis autem interdiciuntur; sed agitur de administratione temporalis, prout facti est, qualis est custodia tam suppellectilis, quam bonorum temporalium, eorumque cura est, & æconomica administratio ne dissipentur, seu in alios usus convertantur.

XXVII. Hactenus de Luca; qui ibidem variis exemplis ostendit, ubique usu esse receptum, ut etiam custodia Sacrarum Reliquiarum, aliarumque Imaginum & oblationum quæ ad eas conferri consueverunt, Laicis in quibusdam Capellis aut Confraternitatibus committatur: quia hic agitur solummodo de administratione æconomica & merè temporali; quæ versatur v. g. circa vestimenta & vasa sacra, ut bene custodiantur; oblationes & proventus in usus Capellæ, Altaris, aut alium, in quem ex voluntate offerentium destinatæ sunt, fideliter impendantur; nequaquam verò ut in usum laicorum cedant, quod Sacris Canonibus vetatur, eosque oblationum eatenus percipiendarum incapaces declarat.

XXVIII. Unde Joannes Tourner in suis arrestis litterarum, cap. 4. monet, pro certo & indubitato esse tenendum Laicos nihil posse præterdere ad oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis vel Capellis, nisi sint Matricularii, Magistri fabricæ, aut Intendentes: eo quod hæc eorum qualitas sufficienter tunc ostendat, eos non recipere oblationes in usus proprios, sed in usum Ecclesiarum fabricæ, confraternitatum, &c. quarum procuracionem agunt.

TITULUS XXXIV.

De Portione Congrua Parochorum.

CAPUT I.

De Origine Pastorum Primitivorum, Vicariorum perpetuorum & Portionis congruæ.

- Olim laici non tantum res temporales Ecclesiæ, sed & ipsas Ecclesias sibi vindicarunt.
- Distinguebant inter Ecclesiam & Altare.
- Hanc distinctionem deplorat & improbat S. Abbas Floriacensis.
- Ecclesiis per laicos ad Monasteria & Capitula devolutis ceperunt & ipsa hac distinctione uti.
- Ut possent sibi temporalia retinere, & alii curam spirituales demandare, Episcoporum consensum adhibebant, mediante aliquo censu.
- Census hic vocatus redemptio Altarium ab usu feudorum deducta.
- Decretum Synodi Claremontana contra hanc Altarium redemptioem.
- Decretum hoc permittit Monasteriis Ecclesias Parochiales retinere quas longo tempore possederunt.
- Eodem Decreto quasi proprietates Ecclesiarum Parochialium Monachis & Canonicis addicta.
- Presbyteri per Monachos aut Canonicos Ecclesiis Parochialibus præfici sine consensu Episcoporum non poterant; & de cura animarum ipsis rationem reddere debebant.
- Monachis & Canonicis dabatur presentatio; Episcopis institutio.
- Synodus Claremontana non desinit, an Presbyter præficiendus debeat esse perpetuus, an temporalis Vicarius.
- Monachi & Canonici malebant Vicarios temporales & amovibiles.
- Episcopi ob plurima incommoda ex hac amovibilitate

te provenientia voluerunt Vicarios perpetuos.

- Decretum Synodi Germanica contra Vicarios amovibiles.
- Synodus Biterrensis vult ab omnibus Religiosis & Canonicis præfici Vicarios perpetuos.
- Vult ut omnibus Ecclesiis Parochialibus præficiatur proprius & perpetuus Presbyter.
- Idipsum voluit Concilium generale Lateranense.
- Abusus præficiendi Vicarios amovibiles tempore Concilii Tridentini adhuc vivebat.
- Decretum Synodi Tridentina de præficiendis Vicariis perpetuis.
- Synodus Tridentina vult præfici Vicarios perpetuos nisi pro bono Ecclesiarum aliud Ordinarius videatur.
- Etiamsi Ecclesia sint unita quoad spiritualia, & temporalia; & licet esset contraria consuetudo immemorialis.
- Edictum Regis Gallie de Vicariis perpetuis.
- Qui ab hoc Edicto excepti?
- Vicarii perpetui non possunt amoveri, licet etiam moriatur Principalis.
- Vicarii perpetui non sunt à Principalibus in suis titulis dependentes.
- Vicaria perpetua est verum beneficium Parochiale.
- In Vicarium perpetuum transit integra cura animarum; non nisi nomine tenus est Vicarius.
- Abbas, Canonici, alique possidentes Ecclesias unitas & datas Vicariis perpetuis tantum sunt nomine tenus Pastores.
- Cur dicantur Pastores primitivi.
- Jus primitivorum Pastorum non attingit curam animarum.
- Tantum concernit temporalia, aut jura honorifica.
- Aliqua jura honorifica quæ ipsis competere possunt.
- In Belgio similia jura quibusdam Ecclesiis competunt.

35. Jus nominandi Vice-Pastorem, Custodem, Concionatorem &c. inserendum in eisdem competit.

36. In his turbandi non sunt, dum sine præjudicio Cura animarum Vicario incumbens iis utuntur.

37. Canonibus volentes Ecclesiis provideri de Vicariis perpetuis, statuerunt eis dandam sustentationem ex bonis Ecclesiæ.

38. Hinc origo portionis congruæ.

Titulo præcedenti capite 3. ostendimus, quod seculo 8. & sequentibus decimæ passim à laicis fuerint occupatæ, vel etiam in feudum concessæ: quin & illud constat, quod non tantum decimas aliaque res temporales sibi attribuerent; sed

etiam ipsas Ecclesias & Altaria sibi vindicarent; eaque & jure hereditario ad heredes transmitterent: ipsique heredes Altaria sive Ecclesias in tot partes dividerent, quot erant heredes; ita ut pro numero heredum, etiam plures Presbyteri qui Ecclesiis deservirent, instituerentur. Imò non secus ac res temporales venum exponerentur.

Hinc illud S. Agobardi Archiepiscopi Lngdunensis libro De Dispensatione rerum Ecclesiarum, cap. 15. „Nunc non solum possessiones Ecclesiasticas, sed ipse etiam Ecclesiæ cum possessionibus veniuntur. „Plura de hoc abusu legi possunt apud Franciscum Florentem in Commentario ad Cap. 1. §. 2. de Jure Patronatus: ostenditque ex antiqua Collectione Decretalium, decisionem horum Capitulorum ad hunc abusum spectare.

II. Ne autem Sacramentorum administratio aliarumque functionum Sacerdotalium per solutio à laicis ipsarum Ecclesiarum possessoribus pendere videretur, inducta est quædam nova distinctio inter Ecclesiam & Altare: ut nimirum Ecclesia comprehenderet omnia temporalia; hæcque penes laicos remaneret; Altare verò Sacramentorum administrationem cæterarumque functionum Sacerdotalium per solutionem; hancque Presbyteris aliquibus committebant.

III. De hac distinctione sæculi 11. ad Reges Gallie Hugonem & Robertum scripsit S. Abbas Floriacensis Abbas; eamque distinctionem ut gravissimum errorem arguit: „Certè charissimi Principes (ait) nec catholicè loquimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam, Ac veluti quædam jumenta comparati jumentis insipientibus, utraque aliquando venales proponimus, propositas ab aliis emere non formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quod fertur Altare esse Episcopi, & Ecclesiam alterius cuiuslibet domini: cum ex domo consecrata & altari unum quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia: sicut unus homo constat ex corpore & anima. Videte æquissimi principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigerat caritas.

IV. Dum autem successu temporis à laicorum manibus, Ecclesiæ ad Monasteria & Canonicorum Collegia pervenerunt: atque illistam quoad temporalia & spiritualia incorporatæ; ceperunt quoque nonnulla Monasteria, & Canonicorum Collegia, exemplo laicorum à quibus eas acceperant, Ecclesiam ab Altari divideret: & Ecclesiam seu decimas aliaque jura temporalia sibi reservantia, Altare sive spiritualium curam Presbyteris quibusdam demandare.

V. Ut autem hac auctoritate liberius ac securius uterentur, licentiam committendi curam spiritualium alicui Presbytero, retentis sibi temporalibus, ab Episcopis impetrabant mediante aliquo censu pecuniario Episcopis præstando, in Vicariorum mutatione, seu in mutatione Presbyterorum illi curæ præficiendorum, in signum nimirum recognitionis, quod Altaria illa de consensu & liberalitate Episcoporum tenerent.

Van Espen J. Eccl. P. II.

VI. Censuum illorum pensatio dicebatur redemptio Altarium (uti titulo præcedenti cap. 4. notatum est) idque, ut apparet, ex usu feudorum, qui habet, ut Domino directo certa pecunia sive jus relictum solvatur, quoties novus vasallus investitur.

VII. De hac Altarium redemptioe extat sub nomine Urbani II. Decretum apud Gratianum Caus. 1. quæst. 3. Can. 4. „Quæsitum est de Episcopis qui Altaria monasteriis data frequenter redimi compellebant pecunia; quia quidem simoniacæ pravitate usus in Galliarum partibus jam diutius inolevit, ut Ecclesiæ, vel decimæ (quæ vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur) Monasteriis datæ, sæpius ab Episcopis sub palliata avaritia vendantur; mortuis nimirum, seu mutatis clericis, quos personas vocant. Nos auctore Deo venalitate omnem tam ex rebus, quam ex ministeriis Ecclesiasticis propellentes, hoc ulterius fieri auctoritate Apostolica prohibemus, sicut etiam præbendas omnes venundandas interdiximus. Porro quæcumque altaria, vel decimas ab annis triginta, & supra sub hujusmodi redemptione possedisse monasteria noscuntur, quietè deinceps, & sine molestia qualibet eis possidenda firmamus. Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex iisdem altaribus habere soliti sunt.

Ad hunc Canonem notant Correctores Romani: „In summis Capitulorum Concilii Claremontensis habiti Alvernæ cap. 6. hæc leguntur, quæ ad caput hoc spectare videntur: Ut Altaria congregationibus Canonicorum, vel Monachorum per personas data, mortuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta vel privilegia confirmata.

VIII. Ex his Decretis patet quidem, redemptioes illas altarium parum placuisse Synodis illis: nihilominus permisisse, ut Altaria quæ Monasteria longo tempore sub hujusmodi redemptione possedisse noscuntur, aut per Episcoporum scripta & privilegia illis confirmata fuisse, pacificè & quietè retinere sinantur: salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex iisdem Altaribus habere soliti sunt.

IX. Itaque rectè advertit Petrus De Marca in notis ad Canonem 7. Concilii Claremontani, quod ex hoc Decreto jam relato. „Illud consecuti sint Canonici & Monachi, ut altarium, sive Ecclesiarum quasi proprietates, adempta Personarum substitutione, illis addicta, sit absque ullius pensationis onere.

Hinc videmus quod seculo 12 & sequentibus passim liberum fuerit Monasteriis & Capitulis nominare Presbyteros, qui curam animarum sustinerent; temporalibus sibi retentis.

X. Hæc tamen privilegia ita concedebantur, ut hos Presbyteros sine Episcoporum consensu instituere non possent illique Presbyteri de cura animarum Episcopis, de temporalibus autem ipsis Abbatibus rationem exhiberent: quemadmodum apud Gratianum Caus. 16. q. 2. Can. 6. declarat dicta Synodus Claremontana: „Sanè quia Monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt, statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi Parochiæ curam cum Abbatum consensu sacerdoti committant: ut ejusmodi sacerdotes de populi quidem cura Episcopis rationem reddant; Abbati verò pro rebus temporalibus ad monasterium pertinentibus debitam subjectionem exhibeant; & sic sua cuique jura serventur.

Apud Gratianum dein additur ex eadem Synodo: „In Parochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopos instituantur, qui eis respondeant de animarum cura, & his quæ ad Episcopum pertinent.

XI. Sensum hujus Decreti esse, quod Monasteria & Capitula haberent presentationem Presbyterorum, qui

Zzz

qui Eccleſias Parochiales in ſpiritualibus regerent: Epifcopis autem competeret eorumdem Presbyterorum approbatio & inſtitutio, ex ipſo Decreto haud obſcurum eſt ipſeque Urbanus II. qui huic Synodo præſuit, clariùs expreſſit in epiſtola ad Hugonem Abbatem Cluniacenſem edita in Bibliotheca Cluniacenſi pag. 520. in qua inter cætera hæc leguntur; „Liceat quoque vobis ſeu fra-
„tribus in Eccleſiis veſtris Presbyteros eligere, ita ta-
„men ut ab Epifcopis, vel ab Epifcoporum Vicariis a-
„nimarum curam abſque venalitate ſuſcipiant.

XII. Hic Canon non determinabat, num Presbyteri ad curam ſpiritualementeſtandi, deberent eſſe *perpetui*, an ſufficeret presbyterum aliquem conductitium, & ad *numum amovibilem* præficere.

XIII. Et quidem cum Presbyteri illi conductitii & ad nutum amovibiles, magis à Monasteriis & Capitulis dependent, atque propterea iis magis complacere ſtudent, & paucioribus ſubſidiis temporalibus eſſent contenti; maluerunt Monasteria & Capitula huiusmodi conductitii & ad nutum amovibilibus presbyteris curam animarum demandare.

XIV. Verùm Epifcopi conſiderabant, quod hi conductitii Presbyteri magis ſtuderent, ut illis, à quibus dependebant, complacerent, quàm ut Parochiam in ſpiritualibus debite regerent; ac inſuper plurima alia incommoda ex amovibilitate & mutatione Presbyterorum in Regimine Eccleſiarum profluere; quin & hinc contingeret, quod paſſim Eccleſiæ proprio & vero Paſtore & Parocho deſtituerentur.

Quapropter decreverunt, ut juxta veterem diſciplinam, unicuique Eccleſiæ Parochiali ſuus proprius & *perpetuus* Presbyter præficere; utque talem Monachi ac Canonici Eccleſiis Parochialibus ſibi incorporatis præficiendum præſentarent, Synodalibus Decretis edixerunt.

XV. Synodus Germanica anno 1225. celebrata Moguntia, uti notat Labbeus, ſub præſidio Conradi Epifcopi Cardinalis Portuenſis, & ſanctæ Rufinæ, Sedisque Apoſtolicæ Legati, deplorat, *Can. 12.* quod „enormis
„quædam conſuetudo in quibusdam Almanæ partibus,
„contra *Canonicas* Sanctiones invaluit, ut ponantur in
„Eccleſiis *conductitii* Sacerdotes *Vicarii temporales*. Ne
„id fiat de cætero (ait) Legatus auctoritate Legationis
„qua fungimur omnibus modis inhibemus. Sed cum
„Vicarius poni debet & poteſt, *perpetuo* inſtituatur id-
„que aſſenſu & auctoritate Diœceſani & Archidiaconi
„loci illius.

XVI. Concilium Biterrenſe anno 1233. *Can. 11.*
„Omnibus Religioſis, Capitulis & aliis Perſonis, qui tenent Eccleſias Parochiales, ad eorum donationes ſpe-
„tantes diſtrictè præcipit, quatenus uſque ad feſtum
„omnium Sanctorum proxime venturum, ſuis diœce-
„ſanis Epifcopis Rectores, ſeu *perpetuos* vicarios, & idoneos vitæ & ſcientiæ, ad eandem Eccleſiam repreſentent,
„ut ab eis curam recipiant animarum.

XVII. Et *Can. 12.* generaliter ſtatuit, ut in omnibus Eccleſiis ſit unus *perpetuus* Sacerdos: „Volumus igitur
„& diſtrictè præcipimus, ut quælibet parochialis Eccleſia proprium habeat & *perpetuum* ſacerdotem, qui
„perſonaliter deſerviat in eadem.

XVIII. Inſiniti ſunt Conciliorum Canones, qui id ipſum decreverunt, conformiter ad Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. quod voluit, ut ſi Eccleſia Parochialis aliqua annexa ſit majori Dignitati, ut qui eam obtinet nequeat Parochiali Eccleſiæ *perſonaliter* deſervire „in ipſa Eccleſia Parochiali idoneum & *perpetuum*
„habeat Vicarium canonicè inſtitutum. „*Cap. 30. De Præbendis.*

XIX. His omnibus Decretis nequaquam abuſus ille extirpari valuit; adeo ut de *conductitii* hæc Sacerdotibus, qui Eccleſiis incorporatis Monasteriis & Capitulis

præficiebantur, ſummo perre conqueſti ſint Principes Germaniæ ſub initium elapſi ſæculi; uti patet ex articulo 86. inter *gravamina* eorundem nomine Adriano VI. exhibita.

XX. Unde Synodus Trid. huic tandem abuſui efficaciſſe occurrete volens ſtatuit *Seſſ. 7. cap. 7. De Reform.* „Beneficia Eccleſiaſtica Curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel monasteriis, beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuò unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum, annis ſingulis viſitentur, qui ſolicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam *perpetuos*, niſi ipſi Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur.

XXI. Evidens eſt ex verbis Decreti, votum & mentem Concilii fuiſſe, ut Eccleſiis Parochialibus unitis Monasteriis vel Capitulis præficere Vicarius unitus; nec non ut Epifcopi ſolicite providere procurent, ut per Vicarios *perpetuos* cura animarum exerceatur; nequaquam verò per Vicarios *amovibiles*; niſi in particulari caſu ipſi Ordinariis pro bono Eccleſiarum ita expedire videbitur.

XXII. Decretum hoc habere locum in Beneficiis unitis menſæ quoad ſpiritualia & temporalia, ex mente & verbis Concilii, quod generaliter loquitur, rectè notavit Garcias de Beneficiis *parte 1. cap. 2. num. 6.* aſſeritque ita S. Congregationem declaraffe.

Similiter derogaffe Concilium conſuetudini immemoriali deſerviendi per Vicarios *amovibiles* notat ibidem *n. 7.* teſtaturque id à S. Congregatione declaratum.

XXIII. Ut Decretum Synodi Tridentinæ plenum fortiretur effectum anno 1686. Regio Ediçto in Gallia cautum fuit, ut omnibus Eccleſiis Parochialibus præficere Vicarius *perpetuus*; Verba Ediçti ſunt: *Quel Curé qui ſont unies à des Chapitres ou autres Communautés Eccleſiaſtiques, & celles où il y a des Curés primitifs, ſoient deſſervies par des Curés, ou des Vicaires perpétuels qui ſeront pourvus en Titre, ſans que l'on y puiſſe mettre à l'advenir des Prêtres amovibles ſous quelque prétexte que ce puiſſe être.* Id eſt, Ut Paſtoratus uniti Capitulis aliſive Collegiis Eccleſiaſticis, iſique ubi ſunt Paſtores primitivi, admittiſtentur per Curiales aut Vicarios *perpetuos* in titulum proviſos, nec conſtituendos in poſterum Sacerdotes qui amoveri poſſint, quæcumque factio caſa obtendatur.

XXIV. Verùm poſtmodum ad ſupplicationem Canonicorum Regularium declaratum fuit, illo Ediçto non comprehendi Eccleſias Parochiales incorporatas Monasteriis & Communitatibus, quibus ipſe communitates per ſuos presbyteros deſerviunt: uti reſert Michael Du Perray in tractatu *De Portione congrua parte 2. cap. 25.* additque: *Ces Communautés ſont les Chanoines Réguliers de l'Ordre de ſaint Auguſtin les Prémonſtrés, les Prêtres de l'Oratoire, & les Prêtres Miſſionnaires. Ils ont obtenu Des arrets du Conſeil, par leſquels ils ſont conſervés dans leur ancien droit de commettre aux Curés fondés dans les Eglises des Abbayes de leur Congrégation ou Communauté, quand elles ſont unies à la Menſe Capitulaire, & dont l'unan a eſté confirmée par Lettres Patentes.*

Ils ſont auſſi conſervés dans la profeſſion en laquelle ils ſont de ſavoir deſſervir les Curés par des Prêtres AMOVIBLES approuvés par des Evêques & Archevêques, ſi les Curés ſont poſſédés de cette manière de temps immémorial, auxquelles les Abbés & Chapitres préſentent ou conſentent ſelon qu'ils auront le droit de le faire. Id eſt, Hæ Communitates ſunt Canonici Regulares S. Auguſtini, Præmonſtratenſes, presbyteri Oratorii & Miſſionum. Senatus Decreta obtinuerunt quibus jus ſuum priſci uſus aſſeritur, commitrendi ad Paſtoratus fundatos in Eccleſiis Abbatialibus, Communitatis aut Congregationis

tionis ſuæ, modò uniti ſint menſæ Capitulari, unioque fuerit confirmata per litteras patentes.

Servatum eſt inſuper jus poſſeſſionis ipſorum quæ Paſtoratus curam adminiſtrari per Sacerdotes quos amovere poſſint, ab Epifcopis & Archiepiſcopis approbatos, ſi talis Paſtoratus poſſeſſio fuerit omni memoria antiquior, ad quos Abbates aut Capitula præſentant, aut conferunt, prout faciendi jus ipſis erit.

XXV. Hi Vicarii *perpetui* ab Epifcopo inſtituti, non ſecus atque alii Parochi & Beneficiarii, eatenus ſunt *perpetui*, ut non poſſint, niſi Canonicè & ſervato juris ordine amoveri. Et uti rectè monet Rebuffus in Praxi Beneficiorum titulo *De Vicariis perpetuis num. 15.* Vicarius *perpetuus* removeri non poteſt, etiam ſi Rector principalis moriatur.

XXVI. Licet enim huiusmodi Presbyteri Parochiis præſecti dicantur *Vicarii*, nullatenus tamen dependent à ſuis Principalibus, quemadmodum mādantur à mandantibus, aut delegati à delegantibus; ſed titulum habent per ſe ſubſiſtentem; imò, uti ſupra tit. 18. cap. 1. *num. 25.* dictum eſt, non poteſt inſtitui Vicarius *perpetuus*, niſi prius per Epifcopum erecta Vicaria *perpetua*.

XXVII. Vicaria autem *perpetua* eſt verum Beneficium æquè ac verus Paſtoratus; daturque Vicario in *titulum*, uti poſt Rebuffum communis conſenſu tradunt Canoniftæ: „& jura loquentia in Beneficiis habent locum
„in Vicariis *perpetuis*; etiam illa quæ loquuntur in Parochialibus, habent etiam locum in hiſ Vicariis, ait Rebuffus *n. 14.* & ſat aperte deciſum eſt in *Clementina unica De Officio Vicarii.* Adde Concilium Toletanum anni 1565. *actione 2. Decreto 24.*

XXVIII. Itaque in Vicariis *perpetuis* tranſfertur omnis planè cura animarum; eamque æquè ac alii Parochi tenent & exercent jure ſui *tituli*, nec jure delegato; ſed jure ordinatio. Itaque non niſi nomine tenus appellantur Vicarii; quod nomen eis adhæſit ex hoc quod Eccleſiæ etiam quoad ſpiritualia unitæ fuerint Monasteriis, Capitulis aliſive quæ ſpiritualium illorum curam Presbyteris, qui ipſorum nomine eam exercent, demandantur.

XXIX. Sicuti autem ipſi Vicarii *perpetui* tantum nomine tenus ſunt *Vicarii*, eò quod revera jure proprio curam animarum exercent; ita & Abbates, Canonici aliique qui Eccleſias ſic unitas poſſident, Paſtores non reſed nomine ſunt: eò quod omnis functio Paſtoralis ſive cura animarum ab ipſis ablata ſit & in Vicariis *perpetuis* tranſlata.

XXX. Unde tandem cæperunt dici Paſtores non ſimpliciter, ſed cum addito, *Primitivi*; quo ſignificatur, eos *primitivos* poſſeſſiſſe Eccleſias illas tamquam Monasteriis, Capitulis aut Dignitatibus ſuis unitas; atque tandem quoad *ſpiritualia* Vicariis *perpetuis* eſſe dadas; ipſa tamen Eccleſia Parochiali quoad temporalia penes ipſos remanente.

XXXI. Jus igitur *primitivorum* Paſtorum nequaquam ſpectat curam animarum: imo nequidem eo titulo adminiſtrationi Sacramentorum, aut alteri functioni Paſtorali ſe immiſcere poſſunt; neque ab hac functione Paſtores *Primitivi* dicuntur. Quod vel inde manifeſtum eſt, quod juſ illud Primitivi Paſtoris etiam communitatibus mulierum, & virorum laicorum competat uti bene annotat Le Maître *Playdoye 9.*

XXXII. Temporalium autem quæ penes primitivos Paſtores remanere ſolent, præcipue ſolet eſſe decimarum perceptio: ac interdum jura aliqua honorifica, quæ tamen ipſam curam animarum nullatenus attingunt.

Unde Ludovicus XIII. in ſua ordinatione anno 1629 art. 12. declaravit, quod poſthac Monasteria, Capitula ſeu Cathedralia, ſeu Collegiata, quibus Eccleſiæ Parochiales fuerunt unitæ, non poſſint prætereſtate ulla jura

Van Eſpen *Jur. Eccl. P. II.*

in ſupra dictis Eccleſiis niſi *bonararia*. Habetur vol. 2. Actorum Cleri Gallicani.

XXXIII. Conformiter ad hanc ordinationem anno 1630 judicatum fuit, quod Prior cujuſdam Monasterii Ordinis S. Benedicti, in qualitate Paſtoris *Primitivi* poſſet in Eccleſia Parochiali, cui Presbyter Sæcularis in qualitate *vicarii perpetui* deſerviebat, quatuor anni ſolemnioribus Feſtis Divinum Officium facere, & cum Stola incidere: omneſque oblationes, quæ diebus illis fierent, recipere; ac deinde totius anni decurſu, obtinere primum locum in Choro, & ſupplicationibus, & inhumationibus mortuorum: quibus quodcumque vellet aſſiſtere poſſet; atque tunc gaudere diſtributionibus, quemadmodum reliqui ejuſdem Eccleſiæ Presbyteri: hac tamen cautione, quod nec in dictis ſolemnitatibus, nec alio quoquam tempore functionibus ullis Paſtoralibus ſe immiſcere poſſet. Reſertur in libro cui titulus: *Conferences des Ordonnances* tom. 1. lib. 1.

Similiter anno 1654. per ſententiam Senatus Pariſienſis, Paſtori Primitivo adjudicata fuit Facultas cantandi in Eccleſia Parochiali integrum Officium Divinum: unaque percipiendi integras oblationes in feſto Aſſumptionis & Purificationis B. Mariæ, & quatuor aliis præcipuis anni ſolemnitatibus.

XXXIV. Uſu quoque paſſim in Belgio obtinuit, ut Capitula Canoniorum, quædam huiusmodi jura honorifica, quæ Curam animarum non attingunt, in Eccleſiis Parochialibus, præſertim quæ in ipſa civitate ſunt, reſervaverint. Ut exempli gratia, quod certis diebus Vicarii *perpetui* earum Eccleſiarum debeant accedere ad Eccleſiam Canoniorum, Officio Divino, aut ſupplicationi unâ cum ſuo Clero & Cruce aſſiſtere: quibusdam diebus ad Capitulum accedere, ut monitiones Decani, qui & ipſorum Paſtor ſolet eſſe excipiant.

XXXV. Nonnullis quoque Capitulis titulo *primitivi* paſtoris remanſit jus nominandi Vice-Paſtorem, Cuſtodem vel Matricularium: item ſubinde jus nominandi Concionatorem pro Adventu & Quadrageſima aliaque ſimilia jura: in quorum poſſeſſione facile turbandi non ſunt, præſertim ſi à tempore *immemoriali* in pacifica poſſeſſione fuerint.

XXXVI. Ita tamen Capitula hiſce juribus uti debent, ut integram Parochiæ curam & regimen animarum Vicario *perpetuo* permittant; neque illum in functionibus ſuis paſtoralibus turbent.

Unde ſi Vicarius *perpetuus* in adventu vel Quadrageſima concionari velit, eatenus ceſſabit jus primitivi paſtoris nominandi concionatorem; quemadmodum anno 1644. pro plebano Eccleſiæ Collegiatæ & parochialis S. Petri Lovanii, contra quorſdam ejuſdem Eccleſiæ Canonicos Paſtores primitivos judicavit Senatus Brabantia. Ut *parte 1. tit. 3. cap. 8.* notatum eſt.

XXXVII. Non tantum ſolliciti fuere Epifcopi & Synodi, ut Eccleſiis parochialibus, quæ Monasteriis & Capitulis erant incorporatæ, Vicarii *perpetui* præficere, ſed vel præcipue curabant, ut ex temporalibus proventibus illarum Eccleſiarum tantum relinquere, unde Vicarius honeſtam ſuſtentationem habere, & alia onera ſuſtinere poſſet.

Nonnulli enim habentes Eccleſias parochiales ſuis Monasteriis, Capitulis aut dignitatibus unitas, presbyteris earum ſervitiis deputatis relinquebant ad eò exiguam portionem, ut ea non poſſent congruè ſuſtentari: unde fiebat, ut in illis regionibus penè nullus inveniretur Sacerdos parochialis, qui ullam vel modicam habere peritiam litterarum: quemadmodum deplorat Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. unâ ſtatuens, „ut (conſuetudine qualibet Epifcopi vel patroni, ſeu
„cujuslibet alterius non obſtante) portio presbyteris
„ipſis ſufficiens aſſignetur. „*Cap. 30. De Præbendis.*